

1795

CODICES

1796

II. horum *Adversariorum* fol. CXXIV.

Fol. LXVI. *Hereses in Sacris Concilijs antea damnatae per Lutheranos iterum ab inferis reductae.* Initium: *De septem Sacramentis in genere. Circa septem sacramenta uarij fuerunt Hereticorum errores &c.*

Fol. LXXXI. *Antilogiarum sediciosissimi Apostatae Martini Lutheri Babilonia ex diuersis ejusdem monachi libris per D. Joannem Fabri excerpta.* Praecedit Elenchus, et ad Carolum Imp. gravis Praefatio, quae incipit: *Si ueterum historiarum monumenta reuoluimus &c.* Omissa est haec in editis Exemplaribus Aug. Vind. 1530. et Lipsiae 1537. eique successit breuior ad Ferdinandum Hung. et Boh. regem.

Fol. CXXXVI. Scriptum de *Canone Missae* retinendo, contra, quam contendebat *Lutherus.* Incipit: *Quamdiu stetit orbis christianus, etsi variae multaeque haereses a diuersis haereticis natae fuerunt &c.*

Fol. CXLII. Brevis Differtatio, in qua ostenditur, minime expedire, ut quaedam christiana Natio pro se sola usum Eucharistiae sub utraque specie petat, aut acceptet. Incipit: *Quamuis Ecclesia Catholica in Concilio aliquo, atque etiam summus pontifex, utpote caput ecclesiae, potestatem habeant &c.*

Fol. CXLIII. *Consilium* de modo Civitates Luthero et Zwinglio adhaerentes ad Impe-

ratores reducendi. Ad Regem Ferdinandum directum et satis pacatum est, incipitque: *Si sacratissima Caesarea M^{tas}. Ciuitates Lutheranas et Zwinglianas ad se reducere, et sine gladio pertrahere velit &c.*

Fol. CXLV. *Commoda*, quae ex pace cum Principibus capi, et *incommoda*, quae e bello oriri possent, hoc initio: *Si pax fiat cum electore Saxoniae, et Marchione Brandeburgensi Georgio, qui praeceteris audiores pacis esse uidentur &c.*

Fol. CXLVII. Opusculum inscriptum: *Pro Tutitione Nostrae Religionis Sacramentis Ceremonijs Constitutionibus et Consuetudinibus Et de earundem Pijs Usibus et Abusibus. Ad Sereniss. et Potentiss. Vngariae et Bobemie Regem Ferdinandum.* Praefatio ad hunc Principem, in qua *Faber* ab octo annis se Curiae ejus adscriptum dicit, data est Aug. Vindel. 9. Julii 1530. incipitque: *Transiturus ex hoc mundo Saluator noster Christus Ihesus &c.* Opusculum vero ipsum: *Quae modo in controuersia est Religionis nostrae materia in tribus mea estimatione potissimum uertitur &c.* Cordatum est Opusculum, abususque masculae conuellit.

CCCCLVIII.

Codex chartaceus lat. germ. 102
Sec. XVI. Folior. 269. f. olim *Job. Fabri* Ep. Viennensis, ejusque *Adversariis* addendus continet farraginem *Epistolarum* majorem

1797

P O L E M I C I.

1798

jorem partem archetyparum, et aliorum *Scriptorum* partim ad Religionem, partim ad alia negotia pertinentium hac serie:

Fol. I. Gabrielis C. ab Ortenburg Literae germ. ad *Job. Fabrum* commendatitiae *Casp. Buckbl.*, qui mandato Regis Rom. *Viennae* in vinculis erat. Datae *Ortenburgi 21. Jun. 1539.* Vir hic nobilis *Gabriel de Salamanca* est, cui *Ferdinandus I.* meritorum ergo a. 1524. Comitatum *Ortenburgicum* in *Carinthia* jure clientelari concesserat. Nota et hic, et pluries in sequentibus epistolis *Fabrum* adpellari *Principem* (*den Hochwürdigem Fürsten*) quanquam titulus *S. R. J. Principis* primum collatus sit *Antonio Wolfrath* Episcopo *Vienn.*

✠ 1639. *Fol. III. Regii Fisci in Austria infer.* Quaestorum *Decretum* ad *Senatum Vienn.* de *solvendis Decimis*, quae aerario debebantur. Datum 14. *Aprilis s. a.* germanice.

Fol. V. Capituli Cathedralis Ecclesiae Basileensis Literae germ. ad *Job. Fabrum* de mala administratione *Oeconomi Praepositurae Capituli*, qui cum *Capitulo*, tum *Fabro* *Praeposito* magnam pecuniam debebat. Dat. *Friburgi die Martis Valentini 1538.* Huc enim *Capitulum* post *Basileae* ad *Zwinglium* defectionem secesserat. *Fabrum* non modo *Officiale*, quem vocant, sed et *Praepositum* *Basileensem* fuisse, pauci norunt.

Denis Codd. Theol. V. I. P. II.

Fol. IX. Relatio ex aula Regis ad *Job. Fabrum* scripta de *Barbarossa* famoso pirata ab *obsidione Castrum Novi* magna cum clade depulso, et aliis *Turcarum* damnis. *Triplex* exemplar fine die et consule, sed a. 1539. exaratum, quo denique tandem *Barbarossa Castrum* cepit. Extant hac de re *Epistolae* binae *Eleutherii Magnefti Epidaurii ad Georg. Loxanum* datae *Venetii VIII. Id. et Idib. Dec. 1538.* et impressae *Viennae 1539. 4.*

Fol. XVII. Promissiones et Gratiae communicantis sub una ex ore *Christi* et quae scripta sunt *Joannis* capite VI. Sunt *Textus XI.* de *sola* *Manducatione* loquentes. Item: *Promissiones gratiae utriusque speciei.* *Textus IV.* cum brevi *Epilogo.*

Fol. XIX. Excerpta ex *Ritu* et *Ordine Exequiarum* *Friderici III. Imp. 1493.* pro norma *Exequiarum Imperatrici Elisabethae* faciendarum, adhibito etiam *Pontificali Rom.* et *Libro obsequiali Dioecesis Vienn.* Editae sunt *Friderici Exequiae* lat. et germ. *Viennae* typis *Job. Winterburger* eod. anno 4. *Elisabeth* sive *Isabella Lusitanica* Aug. obiit 1. *Maji 1539.* quam *Fabri* coadjutor et ecclesiastes regius *Fridericus Nausea* oratione funebri celebravit impressa *Vien. in aedib. Joannis Singrenii* eod. anno. 8.

Fol. XXIX. J. Fabri excusatoria ad *Ferdinandum Regem* *Epistola.* Dedicaverat *Senatui Pragenfi* *Confutationem gravissimi erroris*

P p

1799

C O D I C E S

1800

erroris afferentis in Sacramento Altaris post consecrationem non esse totum et integrum Christum, sed sub specie panis non esse nisi corpus tantum, et sub specie vini non esse nisi sanguinem tantum. Colon. apud Petr. Quentel c. aliis Operib. 1539. f. Cum error hic Pragae, ut notum est, serperet, offendit Senatum Dedicatio, questusque apud Regem videtur, eam sibi, antequam typis traderetur, exhibitam non fuisse. Tuetur se itaque Episcopus dicendo primum: moris non esse, epistolas dedicatorias prius exhibere, cum res mendicationis speciem habeat, dein exemplis *Erasmii Rot.* et aliorum, demum usu proprio; sic se *Paulo* et *Hadriano* Pontiff. Rom. sic *Sigismundo* Regi Pol. sic *Georgio* Duci Sax. quin *Regi* ipsi plures inscripserunt Libros, neque tamen antea Dedicacionem ostendisse &c. Haec epistola alio calamo scripta multum *Fabri* manu interpolata et elimata est.

Fol. XXXI. Rationarium Germanicum Collegii Canonorum Regularium ad S. Dorotheam de Censibus, qui olim ad *Virginum Coenobium D. Nicolai* ante Portam *Stubensem* pertinuerunt, dein vero partim iisdem Canonicis, partim Academiae Viennensi attributi fuerunt, a die *S. Georgii* 1536. usque ad eandem diem 1537. Accedit I. *Libellus supplicis Praepositi praedicti Collegii ad Consilium Provinciale*, quo petit, propter Collegii res afflictas Censuram illos omnes sibi ad-

signari, soluta quotannis Academiae certa pecuniae summa. II. *Crisis Superintendentis*, ut vocabatur, *Academiae* in memoratum Rationarium. Adi, si lubet, de hac Controversia *Conspectum Hist. Universit. Vienn.* ad an. 1534. et 1539.

Fol. LXI. Exequiæ Serenissimae principis et Dominae doming Elizabeth Imperatricis. Viennae Austriacae in Basilica Diui Stephani protomartiris habite, vigesima sexta die Mens. Junij. Anno a nato Christo M. D. XXXVIII. Enarratur hic apparatus Ecclesiae totaque pompa funebris mandato *Ferdinandi* Regis instituta diebus 26. et 27. Junii, subiecta nomenclatura omnium utriusque Cleri Sacerdotum, qui Principi iusta fecere. Male hic mutantur *Fratres Diui Francisci de observantia* dy frumen *Holczschuher* qui acceperunt primos accubitus ad *Sarcophagum Friderici Imperatoris* nil enim cantare neque psallere volentes nisi rex ille personaliter videret eorum *Hypocrisim*. Describitur item Regis adventus adjectis comitantium nominibus, et clauditur: *Sicque omnia magna Solennitate et more Christiano peracta sunt et Totus Clerus et omnis Curia Regia a principio usque in finem istius peractionis quam honestissime in hac ante memorata ecclesia permanserunt.*

Fol. LXXV. Ordo et processus Diuinorum Officiorum in Ecclesia Misnensi, per totum annum. Cum hunc ordinem sequatur *Excerptum e Prologo Vitae S. Benonis*

1801

P O L E M I C I.

1802

nonis per *Hier. Emserum*, quod incipit: *Nec omittendum hoc in loco, quando de incremento agimus religionis et divini cultus Ecclesiae nostrae Misnensis &c. Lips. 1512.* et iterum apud *Surium* et in *Act. SS. Bollandi ad d. 16. Junii*, facile persuadeor: *Ordinem* ipsum ab *Emsero* profectum, et *Fabro* communicatum fuisse. *Sig. Calles in Serie Epp. Misn. 1752. Ratisb. 4.* edita, nullam ejus notitiam habuisse videtur. Vitio compactoris insertum est illi alterum Exemplar *Catalogi* eorum, qui in Exequiis *Elisabethae* Imp. Sacris operati sunt.

Fol. LXXXVII. Joachimi ab Heid five *Heyda*, qui et *Miriciani* (*Myrica*) more temporum sibi nomen fecerat, *Epistola* ad *Joannem Horak* seu *Horatium Hasenbergium* data *Dresdae 1539.* qua se stationis in *Saxonia* ob religionis turbas pertaesum, alioque transeundi cupidum significat. Orditur a querelis contra cunctationem Principum Catholicorum, qui sub initium sine tumultu malum omne sopire potuissent, quod nunc late etiam per *Misniam* serperet. Dein narrat constitutos *Lipsiae* *Concionatores Casp. Crucigerum* et *Apostatam Minoritanum Frideric. Myconium* (qui hominem melius norunt *Vade mecum appellant*) hunc ad populum pro concione, et in *Disputatione* cum *Baltassare Monacho* apud *D. Paulum* (*Dominicano*) adseruisse: *Corpus Domini in hostia, seu vino consecra-*

to, nisi sumantur, non manere; Crucigero contra concedente, *manere ad tres horas, aut ad biduum vel etiam triduum.* *Disputatione* hac fuse exposita minutim persequitur everfionem *Mausolei D. Bennonis* a *J. Jona* et *G. Spalatino* cum ducentis armatis nocturno tempore susceptam, addit tamen: *Episcopus* (*Joh. de Maltitz*) *ossa Bennonis ex tumba abstulerat et alia reposuerat, quae isti boni Viri cum ingenti plausu Vulcano commiserunt.* Ob haec et alia, quae adjungit, animo dejectus subdit: *Si Prage opus esset Lectore institutionum, non detrectarem stipendium commodum; forte deinde alios ex Lipsia ad me pertraberem.* *Finit: Nos in Aula nostra tam egregie peregrinamur ut ab eo tempore quo duxiorius mortem obiit* (*17. Apr. 1539.*) *plus minus Triginta milia aureorum absumpserimus.* *Job. Hasenbergius*, deinceps *Regiorum Liberos Praeceptor* et *Litomicensis Praepositus* ✠ *1551. Miriciano* in *Academia Lipsiensi* *συμμάχος* erat contra *Lutherum*, eorumque *Opuscula* adnotavere *Gesnerus* in *Bibl.* et *Editores Bohemiae doctae Bob. Balbini.*

Fol. XCIII. et rursus XCV. et XCVII. Job. Cochlaei *Epistola* ad *Job. Fabrum* data ex *Stolpen arce Episcopalis residentiae. 6. Aug. 1539.* De *Typographo*, qui *Nicolaus Wolrab* videtur, *Wicelii* *Postilla* contra *interdictum Principis* cum periculo excludente, et dein *Moguntiam*

1803

C O D I C E S

1804

transituro, cupiente tamen *Fabri* Opus quoddam post *Wicelium* imprimere. Neque id periculosum fore: *Non tua aut D. Nauseæ, sed D. Eckii, Wicelii et Cochlei opuscula nominatim odio habentur et interdiciuntur.* De *Fona* et *Spalatio* visitatoribus. Se iis *Misnam* 12. Jul. intrantibus exivisse, et latitasse in arce *Abbatis Cellensis*; 23. tamen Jul. *Vesperas Misnae* iterum decantari coeptas, sed mox affuisse *Officalem cum terribili principis mandato, quo vim e Dresda minabatur, nisi desisteremus.* Ita *Ecclesiam* obtinuisse, se tamen moras tracturum, quia 16. Aug. celebrabitur *Misnae generale Capitulum, quod ultimum fore timeo, cui interesse cupio, ut ualedicam egregiis et mihi dilectissimis fratribus, antequam abeamus ab inuicem in dispersionem.*

Fol. XCVI. rursusque *XCVIII* et *XCIX.* *Joach. ab Heyda* Epistola ad *Job. Hasenbergium*, data ex *Presla* (*Wratistavia*) 6. Aug. 1539. Rursus de turbis religionis. *Est nunc præ manibus Edictum, quo mandabitur, ne quis aduersus Euangelicos — biscat; imo nisi quis sub utraque specie communicet, Exul sit, et omnia vendat, inter quos, si res procedat, ego ero.* Mittit *Disputationem Lipsiæ*, de qua in epist. superiore, ab Homine fidelissimo descriptam. Ad calcem subjicit: *Symon Pistorius heri lypsiam abiit ibi ordinarium acturus. Breitenbachius* (*Georg. D. J.*) plane ex ordine motus. *Non amplius præ-*

fectus Lypsiae, non amplius in Iudicio curiae, non amplius Consiliarius, non amplius ordinarius. Ita propemodum omnibus ueteribus (*Ducis Georgii*) *ministris obtigit. In tota regione nemo ueterum acceptus est, pessimi quique regnant.* Omnibus perpenfis inducor, ut credam, superius *Dresda* pro *Presla* rescribendum esse.

Fol. CI. Phil. Melanchthonis tractatulus de *Gradibus Cognationum.* Praemittit *τετρασικρον* *Volphgangus Krabat* 1539. *Munusculo mittit Dominus Andreas Glotouius.* Extat impressus *Opp. Melanchth. T. I. Basileae* 1546.

Fol. CX. *Decretum Ferdinandi Regis, ne Frumenta e terris suis exportentur ob annonae caritatem.* Dat. *Viennae* 22. Aug. 1539. Germanice.

Fol. CXII. *Particula de Officio post Missam.* Pertinet ad *Ritum Exequiarum* supra *fol. LXI.* indictarum.

Fol. CXIV. *Relatio brevis ad Ferdinandum Regem e Castris in Croatia* data 8. Jul. 1538. de quadam *velitatione cum Turcis* ad oppidulum *Creutz* five *Crifium.*

Fol. CXVI. *Exequiae Elisabethae* Aug. ut supra *fol. LXI.*

Fol. CXXIX. *Pauli Kuchler Capituli Budissin.* *Decani ad Job. Fabrum* Epistola germanica sine die et consule, qua per *Fabrum* *Regiam* implorat *autoritatem* ad dimittendos *Concionatores Lutheranos, substituendosque catholicos Budissinae, ad eligendos rursum*

1805

P O L E M I C I

1806

rursus Ecclesiae Curatores, quod jus partim penes Capitulum, partim penes Senatum esse ait, ad minuendum numerum Senatorum acatholicorum, cum Catholicos premant, dicantque: *Könntest du Euangelisch seyn, so könntest du auch Burgermeyster seyn*, ad Praefectos denique Sodalitii B. V. M. eo adigendos, ut defuncto vicario Sacerdoti suo novum substituunt.

Fol. CXXXI. F. Mich. Hillebrant O. M. Concionatoris Monasterij B. V. in Schwidnicz Epistola ad Job. Fabrum, qua promittit se in officio perstiturum, neque unquam desciturum a sensis orthodoxae Ecclesiae, dein conqueritur, se circumdari Apostatis in plebis perniciem, optatque ad efficacius contra agendum Regia quadam auctoritate instrui, ne suapte fiducia agere videatur. Denique negotium fratris sui *Matthiae Hillebrant* ob debita quaedam in custodia detenti commendat. Data *Schwidnicz Sabbatho intra oct. Corporis Christi 1539*. Hujus Viri Epistolae quaedam habentur inter *Miscellaneas ad Frid. Nauseam* datas. *Basil. 1550. f.*

Fol. CXXXIII. Jobannis Domini de Hasenberg in Budyn Regni Bohemiae hereditarii Dapiferi Epistola germanica ad Job. Fabrum, a quo petit, ut pro ea, qua apud *Ferdinandum* Reg. pollet, gratia, officium in *Nieder Lantziz*, quod per mortem *Henrici Tunckel* vacat, sibi impetret.

Dat. Budyn in festo S. Joannis Bapt. 1539.

Fol. CXXXV. Regiminis Oenipontani Decretum germ. ad Comites Waldburgicos Sueviae Praefectos in caussa Decimarum in Wilbartzbofen, hortatorium, ut cum Civibus *Leutkirchensibus*, quibus *Ferdinandus* Rex ob constantiam in fide orthodoxa plurimum favet, transigant. *Dat. 4. Jun. 1539.*

Fol. CXXXVII. Fiscii Procuratoris in Austria infer. Libellus ad Regem, Causas enumerans, ob quas Praepositus Canon. Regular. in Neuburg in mulctam 300. Flor. inciderit. 1539.

Fol. CXLIV. Tractatus germ. de necessitate et utilitate celebrandi Concilium generale, hoc titulo: Wie gut vnd notwendig sey ain gemain christenlich concilium. Incipit: Das vnnsrer lieber herr vnd bailandt Jesus christus seinen heiligen vnd gotlichen mundt aufthun wurde &c. Partus, ut videtur, Fabri.

Fol. CLXV. Tutoris Comitum Waldburgicorum Epistola germ. ad Cives Leutkirchenses de Decimis, ut supra fol. CXXXV. qua significat, se malle lege agere, quam transigere. Dat. Mercurii post Viti Martyris 1539.

Fol. CLXVII. Adami Tbierbouer Consilium germ. ad Regem Ferdinandum de reprimendis Blasphemis, Ebriosis, Foeneratoribus, reparandis viis publicis, coercendis fluviis, munditia compitorum &c.

P P 3

Fol.

1807

C O D I C E S

1808

Fol. CLXXIX. Rationarium quoddam expensarum in rem familiarem, fortasse *Job. Fabri*, germ.

Fol. CLXXXIII. *Hieronimi Walthers* senioris Epistola germ. ad *Job. Fabri* commendatitia filii *Jodoci*, qui per annos 14. *Welsorum* negotia in *Italia*, *Gallia*, *Belgio* et *Hispania* procuraverat. Dat. *Kemnitz sabbato post Jacobi Apost.* 1539.

Fol. CLXXXVII. Ordo et Ritus Missae Pontificalis pro Defunctis. Incipit: *Pontifex missam celebraturus pro defunctis, induitur Pontificalibus omnibus paramentis nigri coloris &c.*

Fol. CXCVII. *Rektoris et Academiae Vienn.* Libellus supplex germ. ad *Ferdinandum* Regem 1539. ut mandet portionem *Ibsensis* telonii Professorum stipendio adtributam solvi, et in alios usus non converti: fecus Professores dimittendos fore. Erat haec portio 800. flor. et jam a. 1406. a *Wilhelmo Austr.* Duce Studiorum Universitati assignata. Vide *Conspect. Hist. Univ.* ad *b. a.*

Fol. CXCIX. *Georgii Fischell* J. V. D. et Praepositi S. *Virgillii Frisaci* in *Carinthia* Epistola germ. ad *Job. Fabrum*, qua urget, ut in eos, qui *Coenobium Völkensmarktense* (O. Erem. S. A.) profanarunt, inquiratur, et poena decernatur. Dat. *Frisaci* 28. Jul. 1539.

Fol. CC. Rationarium Ecclesiae Parochialis in *Mistelbach*. 1539.

Fol. CCIV. *Wilhelmi de Casl* equitis praetoriani (vulgo *Hartschier*) Libellus supplex germ. ad Reg. *Ferdinandum* pro munere *Telonarii* in *Veldkirch*.

Fol. CCVI. *Varia Scripta* ad Ecclesiam B. V. M. *Soliensem* in *Carinthia* pertinentia, puta: *Elenchus* sacrae *Supellectilis* Provinciae *Praesidibus* pro necessitatibus publicis traditae, *Gravamina* *Cauponum* et aliorum *Accolarum* ob prohibitam *Peregrinorum* et *Hospitum* receptionem, *Regis* et *Provinciae Praesidis* ad haec *Responsum*. &c. Omnia intra annos 1526 — 36.

Fol. CCXIV. *Codicillus memorialis: Quae per fratrem Eckii* in *curia regis* et *apud Legatum Summi Pont.* expediri debeant. Petuntur varia pro variis, sacra, profana. Prima tamen petitio est pro *Eckio*, *pensione ei assignanda LX. fl. in auro* &c. Sub finem autem *Eckius* decrevit *nil beneficiorum amplius acceptare nisi d. legatus vel sedes apostolica eum aliqua parua prepositura honoris gratia honoraret, quae residentiam personalem non requiret* &c.

Fol. CCXVI. *Jobannis Eneller* Epistola germ. ad *Job. Fabrum*, qua rogat, ut *Regi Rom.* referre velit, *Clerum* et *Populum Oppidi Weyl*, subtraetis licet *reditibus* ex *Praefectura Beblingensi* antea perceptis, in *avita religione* constanter persistere. &c. Dat. *Weyl* 20. Maji. 1539. *Wila* *Civitatibus Imp.* accensetur in *Suevia*.

Fol.

1809

P O L E M I C I.

1810

Fol. CCXVIII. Bernardi Clefii Card. Episcopi Trident. et Administratoris Eccl. Brixin. Epistola germ. ad *Job. Fabrum* data *Brixinae 16. Jul. 1539.* qua petit, ut *Gregorium* (Angerer) Novae Civitatis Episcopum hortetur ad transigendum cum *Christophoro Fuchfio* de Decanatu Ecclesiae *Brixinens.* Adcludit illi et Exemplar literarum eam ob rem ad ipsum *Gregorium* datarum. Decanus Capituli *Brixin.* erat *Gregorius*, antequam infulus *Neostadiensibus* ornaretur. Obiit 1548.

Fol. CCXXI. Gabrielis C. ab Ortenburg Epistola germ. ad *Job. Fabrum* pro *Christophoro Freyberger* ab uno ex Tutoribus *Dietrichsteiniorum* in custodiam dato. Ex *Ortenburg 17. Sept. 1538.*

Fol. CCXXIII. Excerpta quaedam ex Episcopi *Misnensis* (*Job. a Malticz*) *Cochlaei* et Typographi *Lipfienfis*, quem *Nicolaum Wolrab* habeo, Literis de his, quae per Ducem *Henricum Dresdae, Lipsiae* et alibi per *Misniam* ab obitu *Georgij Ducis* circa Sacra mutata sunt.

Fol. CCXXXI. Petri Schneybinger Libellus supplex germ. ad *Job. Fabrum*, ut *Sebastianum Eisler* dominum suum sibi placare, et testimonium vitae apud eum innocenter actae impetrare velit. 1538.

Fol. CCXXXIII. Friderici III. Rom. Imp. Decretum germ. quo confirmatur Traditio quorundam fundorum, quos *Wilhelmus Turfs* Ecclesiae O. SS. *Viennae* ad D.

Stephanum Praepositus ea lege huic templo addixerat, ut a *Capellano* hoc beneficio gaudente, qui tunc erat *Sigismundus* Canonicus, quotidie *Missa* sacrificium, dies item anniversaria celebraretur, et lumen perpetuo aleretur. Dat. *Neostadii 1443. festo cathedrae D. Petri.* Obiit *Wilhelmus Turfs, Turso, Thurs de Aspern*, ita enim a diversis scriptum invenio, 1439. Praepositi munere per annos 34. functus. De eo *Specimen Hist. Cancellarior. Univ. Vienn.* p. 48. ubi etiam Traditionis nostrae fit mentio.

Fol. CCXXXV. Gregorii (Angerer) Episcopi *Novae Civitatis* Epistola germ. ad *Job. Fabrum* data *Viennae 1. Jul. 1538.* qua eum certiore reddit de morte Cancellarii *Regim. Auftr. (Niccolai Rabenbaubt de Sucher)* et hortatur, ut id munus ipse ambiat.

Fol. CCXXXVII. Thomae Dachperger *Job. Fabri* Oeconomi Epistola germ. ad Eundem de variis ad Rem familiarem pertinentibus, deque obitu Cancellarii, qui die literis adscripto contigit, id est *ultima Junii 1538.* Aberat tunc Episcopus cum *Aula Regia Pragae.*

Fol. CCXLI. Martini Wolfellii Parochi in *Vesendorf* Epistola germ. ad *Job. Fabrum* de nonnullis ad praedictam *Paroeciam* spectantibus redditibus. 1537.

Fol. CCXLIII. Gotthardi Geyer de Osterberg in *Sitzentball* Epistola,

Epistola, ut videtur, ad *Job. Fabrum*, qua vitae hactenus actae rationes reddit, rogatque, ut ad consequendum honestum aliquod munus adjutor sibi esse velit. Dat. 20. Mart. 1538. De nobili hac Stirpe ex *Franconia* in *Austriam* delata agit Ill. *Hobenecius* in *Geneal. Austr. sup.* et *Wurmbrandius* in *Collegian. Gen. Hist.* ubi et *Gottthardi* nostri fit mentio.

Fol. CCXLV. *Guardiani et Conventus FF. Minorum Conventualium Viennae ad S. Crucem* Libellus Supplex ad *Ferdinandum* Regem contra *FF. Minores de Observantia*, tunc ad *S. Ruper-ti*, qui se in horum domicilium et sacra munia insinuare tentabant. Germanice.

Fol. CCXLVII. *Bernardi Ottonis Wirtembergensis* Libellus supplex ad *Job. Fabrum*, quo rogat, ut Beneficium Ecclesiasticum *Viennense* ob longiorem suam absentiam alteri collatum sibi restituatur. Dat. in *Coenobio Zwifaltensi in festo Vinculorum S. Petri Apostoli*. 1538. Ait inter cetera, se ob suam in fide catholica constantiam jam prius Canonatu *Stutgardiano* privatum fuisse.

Fol. CCXLIX. *Job. Fabri* Libellus supplex ad Reg. *Ferdinandum* germ. ut per Edictum *Creditorum Episcopatus Vienn.* de novo citentur, Arbitri constituta die de illorum postulatis iudicent, non comparituris silentium imponatur. Ait, adesse debita ante 40. annos contracta, mul-

ta se privato suo peculio expunxisse &c.

Fol. CCLI. Catalogus Supellectilis a *Petro Bonomo Ep. Tergestino* traditae *Nicolao Fabri* et *Petro Sauerman* pro Episcopo *Vienn.* germanice. Supellex haec fuerit in manibus *P. Bonomi*, ex quo Episcopatum *Vienn.* una cum *Tergestino* administraverat. Ad calcem habetur fides *Nic. Fabri* Capellani regii et *D. Petri Sauerman* Procuratorum *Johannis Ep. Vien.* et *Bartholomaei de Gerot, Collegarumque Judicum Civit. Tergesti*. Posterior latina data est *Tergesti die 13. Aug. 1537.*

Fol. CCLIII. *Viti Stabl* epistola germ. ad *Job. Fabrum* de negotiis exigui momenti. Dat. *Lincii 3. Octob. 1538.*

Fol. CCLV. *Ernesti* (a *Schleinitz Praep. Prag. et Misn.*) *Administratoris Archiep. Pragensis* Epistola germ. ad *Job. Fabrum* de statu religionis per *Bobemiam* cum querelis contra eos, qui Sacramentum sub utraque specie percipiunt. Data *Pragae die Nicolai 1538.*

Fol. CCLVII. Inventarium supellectilis lineae in Palatio episcopali *Vienn.* germanice.

Fol. CCLIX. Edictum Senatus *Vienn.* germanicum de reverentia Eucharistiae ubivis locorum exhibenda, de non deambulando in sacris aedibus, de non aperiendis vini tabernis, aut mercatorum officinis ante finitam ad *D. Stephani* sacram diem.

Fol.

1813

P O L E M I C I.

1814

Fol. CCLX. Jacobi (de Salza) Episcopi Wratislaviensis Epistola ad Bernardum Clesium Card. Tridentinum et Ferdinandi Regis Cancellarium de Coenobio Trebnitzensi Virginum O. Cist. quod sub fide et clientela Regis Bohemiae est, et Duces Münsterbergenses sub ditionem suam trahere conantur. Dat. ex Nyffe in vigilia Purif. B. V. M. 1539. Jam anno praeced. aliquot ejus pagi instigante Duce Jobanne religionem mutarant.

Fol. CCLXII. Thomae Dachperger Oeconomi Episcopalis Epistola germ. ad Job. Fabrum de minutis rei familiaris negotiis. Dat. Viennae 10. Jul. 1538.

Fol. CCLXIV. D. Johannis Pillhamer Superintendentis Universitatis Viennensis. Adnotata quaedam miscella, maxime circa causam supra fol. XXXI. recensitam.

Fol. CCLXVI. Instrumentum germ. quo Job. Faber Johanni Gaudentio Anhauser Theol. Professore et tunc temporis Academiae Vien. Rectori stipulatur 100. Rhenenses annuos, si pro se aut absente, aut infirmitate praepedito in Ecclesia D. Stephani, primariis diebus festis, et Dominicis praecipue Adventus et Quadragesimae ad populum verba fecerit. Dat. 3. April. 1538. Specimen geminum homileticum Viri hujus docti produxi in Wiens Buchdruckergesch. p. 382. et 383. Reutlingensis erat, eique a. 1542. ad plures abeundis Denis Codd. Theol. V. I. P. II.

ti parentavit *Seb. Solidus in Necrophilis. l. cit. p. 658.*

Fol. demum CCLXVIII. Gregorii (Angerer) Episcopi Novae Civitatis Epistola germ. ad Job. Fabrum Coadjutorem suum argumenti ad rem familiarem potissimum pertinentis. Sine die et consule.

Qui Codices hos a N. CCCCLII. cum plurimis typis excusis *Job. Fabri* lucubrationibus contulerit, facile perspiciet, quantis laboribus exercita fuerit praestantissimi Praefulis vita. Sed nondum finis.

CCCCLIX.

Codex chartaceus lat. germ. ¹⁰⁸ Sec. XVI. et XVII. f. complectitur Farraginem *Scriptorum*, maxime in *caussa Religionis*, compilatam, ut videtur, potissimum ex scriniis *Johannis Fabri* Episc. Vienn. ✠ 1541. Insunt vero sequentia: I. fol. 1. Formula germ. ejurandi haeresin, Sacerdotibus curatis proposita, ut ad calcem legitur, sub *Ottone Henrico* Duce Palat. et Episcopo Augustano (*Christoph. a Stadion*) Incipit: *Ich NN. unwirdiger Priester vnd Pfarber zu N. beken albie offentlich Ibr allerliebste In Christo das ich aufs anreizung des Sathans &c. Ante an. 1542. quo Otto Henr. ad Lutherum transit.*

II. fol. 2. Protestatio germ. Ministrorum Evangel. *Hassiae* ad *Philippum* Landgravium contra Edictum

Q 9

Edictum